



N. 63, pag. 49, lin. 42: omnino necesse est in hoc loco habere obligacionem sequendi legem Dei et Ecclesiae. Haec omissio est valde periculosa.

N. 64, pag. 50, lin. 36: haec clausula, in sententia maximi momenti, non est clara. Quid de facto significant verba « quae ... manifestatur »? Quare haec doctrina in verbis nebulosis praesentatur? Cur non clare dicitur contracepcionem non permitti?

## 67

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA  
*Archiepiscopus Cracoviensis*

1. Caput « De Matrimonio et Familia » *non videtur omnino adaequatum sub aspectu pastorali*. Nec enim apparent in ipso omnia ista difficultia quaesita, quae ex parte hominum in matrimonio viventium nobis — qui utique pastores sumus — occurunt, nec ad ipsa conatur respondere. *Non agitur de corpore doctrinae, sed de modo loquendi*. Modus enim loquendi in hac rationem dialogi exprimere debet. Ad dialogum pertinet respondere quaesitis, respondere autem non hoc sensu tantum, ut ostendatur principium, i. e. doctrina, sed etiam, ut ostendatur ratio vel argumentum, in quo principium innititur. Talis modus loquendi proinde videtur esse necessarius, quia quaesita quoad matrimonium non solum sunt quaesita indolis moralis, sed etiam personam humanam attingunt in sua exsistentia quam maxime concreta, et in sua vocatione quam maxime personali. Oportet ergo dialogum instituere non cum matrimonio in abstracto, sed quasi cum illis omnibus matrimonii, quarum sollicitudo pastoralis nobis inest, i. e. cum matrimonii in Ecclesia et in mundo, quia matrimonium ut Sacramentum Ecclesiae sacramentum naturae praesupponit.

2. Circa problemata moralia matrimonii multae exstiterunt tempore Concilii opiniones et suggestiones. In ipsis opinionibus hoc unum potest esse praecipue periculosum ex parte moralitatis, quod solutio in problemate quam maxime personali et simul naturali modo potius artificiali exspectatur. Quae-stio est de usu matrimonii. In usu matrimonii etenim unio personarum, mariti scil. et uxor, *tunc modo revera personali perficitur, quando simul ordinis naturae respectum uterque habeat*. Ut ergo haec ambo, i. e. unio revera personalis et respectus ordinis naturae, actu sint, *opus est verae virtutis*. Haec est virtus caritatis, quae continentiam et debitam teneritatem in se connectit. Numquam autem ipsa cognitio regularum naturalis foecunditatis nec etiam reflexum, qui ad vitam sexualem pertinent, creabit perfectum in sensu morali usum matrimonii sine proportionato exercitio virtutum. Cognitio ista affert possibilitatem talis usus matrimonii, qui deliberatus vel conscientiosus vocari potest, qui etiam *quam maxime correspondet personae humanae dignitati*. Oportet exprimere votum scientificum, de quo em.mus card. Suenens locutus est. Scientia faciliorem reddit virtutem, si tamen in virtutem incor-poretur.



3. Sumus in Concilio ut pastores animarum. Oportet nobis matrimonii intra et extra Ecclesiam colloqui modo et lingua pastorali. Scimus — tamquam pastores — difficultates diversi ordinis, quae vitae maritali propriae sunt — prout scivit iam S. Paulus Apostolus (*Ep. ad Cor. I*). Profiteamur plenam significationem vitae matrimonialis eiusque sacram indolem ex gratia Sacramenti provenientem. Profiteamur etiam illam solidarietatem, quae in populo Dei, in familia humana, nos cum omnibus, qui in matrimonio vivunt, coniungit. *Responsabilitas, quae illis incumbit, est responsabilitas fundamentalis* quoad vitam et dignitatem personae humanae. Matrimonium enim et familia constituit illum *ambitum proprium, in quo persona humana diligitur*. Est schola dilectionis et caritatis. Oportet, ut isti dilectio et caritas — non tantum doctrina — ex parte Concilii ostendatur. Et in spiritu caritatis pastoralis invocemus etiam nominatim omnes istas vires ordinis naturalis et supernaturalis, quae viris et uxoribus in matrimonio praesto sunt. Ad nos pertinet explicare, *quomodo bonus usus matrimonii correspondet bono usui intellectus, voluntatis et cordis, quomodo etiam correspondet bono usui gratiae sacramentalis*. Saepe saepius fratres nostros et sorores in matrimonio invadit quaedam desperatio ex parte difficultatum moralium, qui statuī eorum propriae sunt, unde etiam fides debilitatur saltem in praxi. Oportet, ut tamquam effectus capitis « De Matrimonio et Familia » haec ambo consolidentur: fides et spes.

## 68

## PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

N. 61, lin. 40: « ... accedunt. Ad roborandum sensum Dei in sinu familie maxime confert illa oratio qua omnia sua membra insimul in fide et caritate Deum colunt et eius uberrimas benedictiones impetrant. Unde per ipsos... ».

[*Subsignaverunt*] J. card. Câmara, arch. Rio de Janeiro; J. card. Garibi, arch. Guadalajara; J. Pernicone, aux. New York; J. Byrne, arch. Dubuque; H. Thian-doum, arch. Dakar; G. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa; M. Lemieux, arch. Ottawa; J. Bassoul, arch. Homs; P. Dalmais, arch. Fort Lamy.

## 69

## PLURES EXC.MI EPISCOPI MEXICI

Schema de *Ecclesia in mundo huius temporis* multa praeclara continet etiam in discussso cap. I partis II de dignitate matrimonii, sed sincere et audacter fatendum est idem essentialiter imperfectum, immo truncum esse ita ut multos decipere possit.

Quod homines nostro tempore praesertim exspectant a Concilio est sine